



1701.

20. Cellarius, Christophorus: De fatis Latinae Linguae. [Opp. 1.]

~~Amstelredamensis~~

21. Cellarius, Christophorus: De Cinctis et Tenturis

22. Hoffmannus, Fridericus: De peregrinationibus sanitate causa
inhibendis

23. Hoffmannus, Fridericus: De caryophyllis aromaticis

24. Hoffmannus, Fridericus: Viperatae medicae icones, sistens
Sachari historiam naturalem et medicam

25. Hoffmannus, Fridericus: Motum optimand corporis medicamentis
... exponit.

26. Ludovici, Jacobus Frider: De effectibus ex dominis directo pro-
venientibus.

27^{a, b, c}. Ludovici, Jacobus Frider: De conditionibus spirituum imper-
ditibus. 3 exempl.

28^a. Ludovici, Jacobus Frider: De effectibus ex dominis utrius-
que provenientibus

28^b. Ludovici, Jacobus Frider: Collegium juris feudalis. 9.3.1739

- 29^a Ludovici, Joh. Vob.: De auspicio regum.
- 29^b Ludovici, Joh. Vob.: De auspicio regum.
30. Schneider, Fr. Ferdin.: De ordine foeminarum equestri,
Von Wälfchen Ritter. Viden d. 2. . . aucht brevi relatione
de ordine foeminarum illustrium propriis
31. Schwanke, Fr. Conrad: De plagis litterarum
32. Stahl, Georg. Ernestus: Perumplicem inanis, monens mona-
las motuum vitalium patheticas, non esse sumul-
tarios aut turbulentos
33. Styracis, Fr. Samuel: De clausula salutari libellorum.
34. Styracis, Fr. Samuel: De auro coronario.

ht,
au
ma
al
ma

17. 1766

UNIVERSITÄT
GIBVS IMPE
DNI FERDICO
WILHELMO
KURIAE ELECTORA
MANNNO.
APRILIS ANNO ERNESTI





1 2
Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA, ^{II} 1701, 11^a
De

LEGIBVS IMPE-
RII FVNDAMEN-
TALIBVS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. FRIDERICO
WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENBVRGICO, ELECTORA
TVS AC PROVINCIARVM HEREDE &c. &c. &c.

In Illustri Fridericiana Brandenburgica
PRAESIDE

DN. IACOBO BRUNNEMANNO,
IVRIVM LICENTIATO

D. 15. Januar. 1701. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subiicit

AVGVSTVS ADOLPHVS ERMISCH,
BRVNSVICENSIS. *etc*

HALÆ MAGDEB. Literis Chr. Henckelii, Acad. Typ.

C. D. R. N.
D. S. S. R. T. A. T. I. O. I. R. I. D. I. C. A.
DE
LEGIBVS IMPERIALI
R. I. I. F. V. N. D. A. M. E. N.
T. A. L. I. B. V. S.

REGTORI MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
D. N. F. R. I. D. E. R. I. C. O.
W. I. L. H. E. L. M. O.
MARCHIONE BRANDBURGICO, ELECTORI
SAC. ROM. IMP. PERPET. ET. C. C.
IN M. G. P. P. R. E. S. I. D. E. N. S. I. S. I. N. G. L. I. A.
P. R. A. E. S. I. D. E.
D. N. J. A. C. O. B. O. B. R. U. N. N. M. A. N. N. O.
P. R. A. E. S. I. D. E.
D. P. J. A. N. N. O. 1735. H. E. L. D. O.
A. U. G. U. S. T. A. V. S. A. D. O. L. P. H. V. S. B. R. U. N. N. I. C. H.
P. R. A. E. S. I. D. E.
—————
P. R. A. E. S. I. D. E. I. L. L. I. S. T. R. A. T. I. S. C. I. T. I. S. H. E. L. D. O. 1737.





COROLLARIA.

I.

Controuersia de Iure Capitulationem præscribendi, historice relata est in hac Dissertatione, quatenus scilicet res gesta fuit Electores inter & reliquos Ordines. Quo ad punctum iuris autem, Ius Capitulandi Statibus omnibus vindicandum esse, leges publicæ, vid. *Instrumentum Pacis Artic. VIII. §. 3.* iubent, quæ, & vna cum iis salus Imperii ac incolumitas religionis protestantium, diminuto iam Electorum Euangelicorum numero, vt in posterum aliis respectibus præponantur, summopere optandum est.

II.

Nihil incommodi politici secum habet, si ex mente legum publicarum & Statuum Imperii, *perpetua Capitulatio* condatur. Huius enim perpetuitas moraliter est accipienda, quod mutato statu temporum & ipsa mutari possit, ex voto tamen omnium Ordinum.

III.

Rex Bohemiæ a iure Capitulationes conficiendi exclusus hodie est. Ast cum nulla expressa prohibitio extet; Puto hoc propterea factum fuisse, quia Impera-

toribus ex Domo Auftriaca hæcenus electis, dignitas Regia & Imperatoria plerumq; extitit in vno subiecto, hinc ad tales deliberationes commode adhiberi vix potuit. Accedit & hoc, quod Leges Imperii non fringant Bohemos, hinc ipsorum non interest, quid Imp. circa Regimen præscribatur.

IV.

Pontifici, vtpote Principi Italiæ primariæ dignitatis, externa reverentia & declaratio honoris, citra scrupulum Conscientiæ, exhiberi, & titulus *AntiChristi* ac alia, quibus a nostratibus affici solet, satius omitti possent, vrut, si illo vtantur, crimen læsæ Maiestatis, aut violationẽ Pacis Religiosæ eo ipso non committi, existimem. Interim indoli religionis christianæ videtur conuenientius, verbis mansuetudinis & amoris plenissimis reuocare in viam errantes, quam conuiciis provocare ipsos, aut retorquere ipsorum maledicta.

V.

Inviolabilitas iure Gentium legatis debita se non extendit ad immoderatum Asyli ius, quo frui possent facinorosi apud legatos degentes, extra eorũ familiam, Hinc merito & citra iniuriam Legatorum, recens electus Pontifex Max. *Clemens XI.* ex gente Albaniorum, mox ab initio sui regiminis declarauit, *Ius Quarteriorum* vel *franchisarum*, quod vocant, in posterum ipsiæque incognitum futurum esse, quam Arabica aut Chaldaica, prout ipsius verba in nuperis *Relat. Gallicis de d. Rom.* relata legimus.



DISSERTATIO II.
De
LEGIBVS IMPERII
FVNDAMENTALIBVS.

SVMMARIA.

- L**eges Veterum Germanorum, & forma Imperii Germanorum usque ad Francorum Monarchiam. §. 1.
Initium legum fundamentalium totius Germaniae querendum in vnione Germaniae sub Clodoueo M. & Carolo M. §. 2.
Sine cognitione historica status Germaniae, solide de legibus publicis non potest iudicari. §. 3.
Observantia Imperialis origo, indoles & progressus. §. 4.
Quare leges scriptae statum publicum concernentes obseruantia veteris aequae fuerit superaddita. §. 5.
Origo Capitulationum Caesarearum §. eod.
Non conspirat cum historia patria illorum opinio, qui Capitulationum vestigia ante Carolum V. extare negant. §. 6.
Causa cur prima solennis Capitulatio Carolo V. praescripta sit. §. 7.
Electores ab eo tempore sibi ius Capitulationes consiciendi vindicauerunt. §. 8.
Quando & quibus Comitii reliqui status in communionem huius iuris venire voluerunt. §. 9.
Spes in initio presentium Comitiorum perpetuam Capitalationem consiciendi quare collapsa §. 10.
An propterea Capitulationes post Instr. P. confecta pro legibus publicis non sint habende. §. 11.
An Capitulatio derogat Maestati Imperatoris? obiter & remissive tractatur, & imperitia nonnullorum notatur. §. 12.
A. Bulla quenam iura concernat, qui illam illustrauerint, an mutari possit? §. 13.
Recessus Imperii quid sint, quae origo eorum, §. 14.
Quot Recessus editi, & vitia nonnullarum editionum. §. 15.

A

Mate-

Materia Recessuum, ius obligandi, diuisiones. §. 16.

Constitutio Pacis publicæ, origo eiusdem, pana contra eiusdem violatores. §. 17.

Pax religiosa, occasio reformationis, §. 18.

Motus Europa ex Reformatione Religionis, Bellum Schmalkaldium & inde secuta transactio Passauiensis & pax religiosa. §. 19.

Preparatio belli tricennalis, status Germania, character Ferdinandi II. §. 20.

Instrumento Pac. Westph. tribus religionibus consultum. §. 22. An propterea Princeps nullam aliam religionem tolerare debeat? ibid.

Pacis religiosa descriptio & votum pro eius continuatione contra turbulentos omnium religionum homines. §. 22.

An leges feudales in classem publicarum legum Germania veniant? §. 23.

An Canonicum Ius? §. 24.

An Iura Ciuilia Romana? §. 25.

S. I.



Germaniam nostram nunquam sine legibus fuisse, etiam eo tempore, vbi Tacito teste, viri pariter ac feminae secreta literarum ignorauerint, elegantissime probatum dedit ill. Dn. Stryk. in *Vf. Modern. ff. Dissert. prelim. §. 1. seqq.* Hoc tamen fatemur lubentes, illas constituisse magis in bonis moribus & consuetudinibus instar legum sancte obseruatis, quia alias ipsorum societates nullo modo consistere potuissent, quam in sanctionibus scripto comprehensis. add. B. Conring. *de Orig. Iur. German. Cap. 1. seqq.* Attinebant autem hæc communia placita tantum ordinem vnus populi aut prouinciæ, cuius limites non egrediebantur. Indoles enim populorum Germaniæ non aliter ferebat, quam vt quilibet populus sub suis quisque principibus aut Ducibus, magis suadendi autoritate quam iubendi potestate pollentibus, seorsim degeret, nulla communis Reipublicæ compage adunati. Hinc *Ambiorix* Eburonum, *Gentis* Ger-

Germanæ Cis-Rhenanæ, Rex apud Cæsarem *lib. 5.* libere profiteretur. *sua esse imperia eiusmodi, ut non minus in se haberet iuris multitudo, quam ipse in multitudinem,* & Tacitus cum *lib. 14. annal.* memorasset, Frisios a *Verrito & Malorige* regi, adiicit prudenter: *in quantum Germai regnantur.* Vti vero hoc laxum imperium Germanorum tempore pacis sic satis bene se habebat; ita eos minus aptos reddebat ad resistendū Romanis, hostibus eorum libertatis. Hinc idem Tacitus ex vero censet in *vit. Agricola cap. XII.* nil Deos immortales melius largiri potuisse Romanis hac dissociatione politica Germanorum, alias acrior Arsacis regno libertas Germanorum Romanis nimis grauis futura fuisset.

§. II. Durauit vero hic status Germaniæ usque ad tempora Francorum imperii sub Clodouæo M. & postea Carolo M. Prout enim princeps aliquis aut validæ ac præpotenti genti vni aut pluribus imperauit, ita præ aliis conspicuus fuit. Talis tempore Iulii Cæsaris *Arionifius*, Augusti *Arminius*, illustris ille Cheruscorum Dux apud *Tacitum*, (nam præter hunc nullum virtutum suarum præconem nactus, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirabantur, Romanis haud perinde celebris, quia vetera extollere in more habebant, recentium incuriosi) & ipsius Caroli M. tempore celebris præ aliis *Tassilo* Boioariæ, & *Vitekindus*, Saxonum, siue Reges siue Duces. Vnde nullo negotio porro concludere licet, nullas eo tempore leges publicum statum totius Germaniæ concernentes latas fuisse, priusquam auspiciis & felicitate armorum Francicorum sub *Clodouæo M.* magna Germaniæ pars ad Thuringiæ fines vsque Francici nominis Maiestatem comiter agnoscere cogereretur, & tandem sub Carolo M. deuictio *Tassilouæ*, & *Vitekindo* in vnam Germaniam coalescisset Republicam. conf. Cæsarin. *Furstenen. de Supremat. Princ. Imp. t. 14. seqq.* Conring. *Diff. de Imp. Germ. Ciuib.* Ex eo tempore Ducum & Comitum dignitas, aliquamdiu temporaria, sub Carolo M. & Successoribus, inertia successorum, hereditaria facta. Inde successu temporis Ducum Principumque potestas, olim nonnisi præcaria (loquor ex communi hypothese Conringii, *Monzambani*, *Kulpifii*,) & iure Magistratus exercita, tandem maiestatis æmula euasit, superioritatis territorialis nomine imbuta, nomine

potius quam re a Maiestate discrepans. conf. Huber. de *Ciuit.*
lib. 1. c. 3. §. 19. Accessit Caroli V. tempore ingens illa mu-
 tatio circa sacra, Protestantibus Principibus Germaniæ plenis-
 sime hac potestate restituta. Hinc Ducum Principumque Ger-
 mania ea iam est autoritas, vt singulorum ditio instar, aliquod
 Reipubl. præ se ferre, & vnitati Republicæ exigua reliqua super-
 esse videantur. conf. Rachel. *Diss. de Capit. & in Otio Nouiomag. c. 4.*

§. III. Igitur a Carolingis legum fundamentalium Imperii
 prima periodus incipienda est, deducenda postea per seculo-
 rum sequentium seriem mutationemque status sub illis. Vti
 enim alibi fusius demonstratum est, mutatio status infert muta-
 tionem tacitam legum vid. *Diss. 1. §. 12. & Diss. de Mutat. A. Bullæ*
§. 7. seqq. Hinc indoles & natura legum publicarum fundamen-
 talium sine cognitione historica faciei germaniæ, vix aut admo-
 dum imperfecte cognosci poterit. Nam quod alicubi notat,
 Hobbius in *Leuiathane*, nihil iactari frequentius, nihil interim
 intelligi rarius quam leges fundamentales, suo modo applicari
 potest etiam ad leges publicas Germanicas. Equidem quid in
 genere *legum fundamentalium* nomine veniat, quæ natura & indoles
 earum sit, solide copioseque persequitur Huberus de *Jur. Ci-
 uic. Lib. I. Sect. 3. c. 5.* Ad Germaniæ vero leges publicas funda-
 mentales quod attinet, indoles ipsarum est, vt versentur circa
 statum Ciuitatis Germanicæ eiusque Imperantes. Vti autem
 leges fundamentales sunt constitutiones quæ in fundando Im-
 perio, ante plenam eius translationem, stabiliuntur, ut iuxta eas
 Respublica exerceatur; Huber. *l.c.* Ita in specie leges Germani-
 cæ publicæ vel pertinent ad Ciuitatis Germanicæ *initia*, vel ad
 eius *mutationem*. Enim vero quæ pacta circa statum Ciuitatis pub-
 licum inter Regem & populum sunt inita, cum in vnâ ciuitatem
 coalesceret Germania sub Carolingis, ruditas cui istius non
 satis memoriæ prodidit. Et cum coniecturis hic omnino locus
 supersit, ortæ duæ illæ hypotheses. Vna Furfstenerii de *Suppre-
 mat. Princ. Germ. Cap. XIV. XV. XVI. XVII. XIX.* Principes deu-
 ctos in fidem tantum receptos relictos fuisse in ditionibus, con-
 ditione imparis fœderis verius, quam subiectionis, adiunctis
 tamen Comitibus & missis, vt eo facilius in officiis contineren-
 tur.

tur. Altera Lehmanni *Chron. Spirens. lib. 2. cap. 21.* Conringii *Diss. alleg. Monzambani de stat. Imp. c. III.* Kulpisii *de Jur. Legat. cap. VII. §. 14. seqv.* quæ & communis & §. *preced. 2. recensita.* Inferim ex utraque opinione apparet, non plane nulla libertate gaudios esse Germanos sub Carolingis, & Proceres eorum non exclusos fuisse a Comitibus & summa rerum, vti historia hoc docet satis euidenter. Hi enim mori maiorum inhaerunt in Regum & Ducum constitutione, in Comitibus agendis, & quæ alia statum publicum spectant, vti colligere est ex lege Salica, Alemannorum, Baiuvariorum, Ripuvariorum & Capitularibus Dagoberti Regis ac successorum. Dn. Schilt. *7. P. lib. 1. tit. 2. §. 3.* Vti autem §. 2. in compendio capita mutationis vidimus, prout status Imperii mutatus, ita alia ac alia leges fundamentales inter Imperatores & Status condita. Subobscurius hoc primo indigitatum voce *obseruantia Imperialis*; cuius exordium a prima Germanorum origine libertatis retinentissimorum, progressus vero a Carolingis deriuandus est, roborante diuturno sequentium seculorum vsu. Postea vero illa capita quæ partim obseruantia nitebantur, partim alio iure, in *Capitulis*, & tandem clarius in *Capitulationibus*, vi pactorum publicorum, stabilita sunt.

§. IV. Antiquissima igitur legum publicarum Germaniarum videtur esse obseruantia Imperialis *das Reichs Herkommen* / quâ vocem latine commode efferri vix posse, existimat Schottelius *de singular. antiqu. Juribus German. in præf.* Describi possit, quod sit tacita conuentio ab Imperatore & Statibus, vel aliquando ab his solis diuturno vsu inita, qua varia totius imperii vel Statuum res, nec non operandi modum concernentia determinantur. *Conf. Diss. nostr. de Mut. A. Bullæ §. 12.* Originem obseruantia ab indole populi Germanici omni tempore consuetudines amantis derivat Kulpisius in *Dissert. de Obseruantia Imperiali*, quæ inter ipsius *Dissertat. Iur. Publ. selectas Argentorati 1688. editas* extat, sed loco allegato iam indicavi, non sufficere hanc rationem, nec proximam esse, cum potissima ratio ab imperii mutatione alium agendi modum desiderante deripari debeat. add. Goldast. *tom. 4. Collect. Consuet. Imper. Nitriæ. Inst. Iur. Publ. L. 1. tit. 2. §. 7.* Pleraque igitur capita iuris publici incunabula debe-

bent huic obseruantia Imperiali : Apposite hanc in rem differit Excellentiss. Dn. Cocceius in *monitis premisis Iurisprud. Publicæ §. 2. Ius publicum Regni Germanici, nulla olim lege comprehensum, non ab alio fere principio accessit, quam a longæua consuetudine, quæ quid est quam antiquitatis Germaniæ historia? ex hac proinde tum ea, quæ literis postea comprehensa, sed dubia sunt, decidi, tum ceterabauriri ac exponi necesse est.*

§. V. Quia autem sola hæc obseruantia eiusue determinatio suis non carebat difficultatibus, & nunc pro lubricine aliquis ad eam prouocabat, alter repudiabat, hinc successu temporis, leges & conuentiones publicæ scriptæ fuere superadditæ. Antiquissimæ ex illis vetera sunt *Capitula* quibus succedendi modum definiabant & regendi ius temperabant Proceres Regni Germaniæ. conf. inprimis Dn. Schilt. *Inst. Iur. Publ. Lib. I. tit. XV.* Origo eorumdem ex populorum Germanicorum adamata libertate, vti supra ex Tacito *de Morib. Germ. c. XI.* adductum. Inde surgens Francorum gentis potentia ad Comitum Statuum tam Ecclesiasticorum quam Secularium iam tum fuit restricta, & legum latio non absolute penes Reges fuit, sed ad consensum & approbationem ordinum alligata. Probat hoc doctè Schilterus ex *Legibus Salicæ, Baiuvariorum, Alemannorum, Capitularibus Francorum Caroli M. Ludouici pii & aliorum.* Sigillatim vero diuiso Imperio inter Ludouici pii filios, A. C. 860. in *Pactione Confluentana* Articulus X. velut Capitulationem generalem & perpetuam & ad successores ipso iure, etiam si non semper expresse transmissam, continet, qua obligauit sese Rex Ludouicus Statibus Regni, *quod illorum communi consilio (comitiis) assensum præbere, veluti adiutorum & cooperatorum suorum, velit.* Huic Capitulationi primæuæ, sequentibus temporibus, pro rerum facie statuque ac Reipublicæ necessitate, subinde quædam addita, aut priora saltem expresse renouata, veluti sub Ludouico III. Arnulphi filio impuberi, A. 900, Conrado I. Imp. A. 912. Henrico IV. Ottone IV. Dn. Schilt. *Inst. I. P. lib. 1. tit. 15. h. 4.* qui ad Conringium in *Animaduers. ad Lampad. P. 3. c. 11. §. 4.* protuocat, sed nil talium mihi contigit ibi inuenire, hinc puto ipsum §. 1. eiusdem cap. indigitare voluit.

luisse. add. Rachel. *Dissert. eleg. de Capitulat. Cap. II. §. 5.*
 §. VI. Vnde oppido liquet, Capitulationum origines altius
 repetendas esse, quam vulgo fit, & hospites se prosteri in monu-
 mentis patriis, qui vestigia Capitulationum ante Carolum V. non
 extare, existimant. Equidem de solennibus Capitulationibus
 admitti potest, non vero, quasi antea circa modum regendi & alia
 capita summi Imperii nil sibi Status, per stipulationes publicas
 cauissent. Rachel. *Orio Nouiomag. c. 19. p. 44.* Multo enim vetusti-
 ora tempora sunt, quibus Germani regnare soliti sunt. Quem
 enim modum postea imperio Regio verbis & scripto statuerunt,
 hunc olim factò expresserunt, & quamuis priscorum Regum,
 Francicorum additiuus fuerit Imperium, atque illorum qui hodie
 regnant, nondum tamen illud supra libertatem fuit. Interim,
 nec illud abnuere animus est, vetera pacta & capitularia circa
 isthanc rem adstrictiora & angustioribus terminis comprehensa
 fuisse, cum de reliquis Statuum iuribus non expressis, per *Obser-
 uantiam immemoriam* ab ipsis inde Reipubl. Germanica originibus
 continuatam, satis prospectum videbatur. Abunde enim indi-
 cat Status illorum temporum & indoles Reipublicæ, Reges in ob-
 seruantiam hanc vetustam & communem legum & consuetudi-
 num receptorum creatos & admissos esse, iuramento illorum in-
 supplementi vicem ad sanctiorem obseruationem horum capi-
 tum accedente. add. Conring. *Diff. de Capitulat. §. 19.*

§. VII. Cur autem Carolum V. expressis istis & prolixis legi-
 bus voluerint adstringere Electores, in causa erat istius Principis
 potentia, iuueniles atque spiritus, quos solum illud *plus ultra* sa-
 tis arguebant; & ne patrimonii sui amplitudine abuteretur, & vt
 nosset, alio sibi modo gubernandam esse Germaniam quam reli-
 quas ditiones. Monzamb. *de stat. Imp. Cap. 5. §. 1.* Rachel. *alleg.
 Diss. cap. 5. §. 5.* Semel receptum institutum, & si fortasse hæ ratio-
 nes non æque urgerent, retinere visum, ne ampliora sibi indulta
 crederent successores. Hinc Capitulationes continuatæ vsque ad
 hodierni gloriosis. Iosephi electionem. Formulas autem istas a Ca-
 roli V. æuo vsq; ad Leopoldi inuictis tempora, exhibuit Limnæus
 non solum, sed & notis illustrauit peculiari opere, quod inter ipsius
 libros

libros optimū reputatur a Kulpifio *ad Monzamb. c. 5. §. 2.* Maximiani II. Capitulationem autem, quam Limnæus & Carpozivius *de Leg. Reg.* mutilam & imperfectam ediderant, integram nunc exhibuit ex Archivio Palatino nobiliff. Dn. Thulemarius *tr. de Bullis.* Sacratiffimi Iosephi *Capitulatio* notis illustrata est a Dn. Fritschio & Iulichio. Quæ ratione autem conveniant discrepantia inter se omnes, vno obtutu perspicere potest in Dn. Müldeneri *Capitulatio Harmonica.*

§. VIII. Cæterum a tempore Solemnium Capitulationum portio essentialis negotii electionis habita fuit ab Electoribus confectio Capitulationis, Moguntino utpote Decano Collegii Electoralis stitum moderante. Hinc nec ipsi Imperatori, si vivo eo Rex Romanus eligendus est, in negotio Capitulationis quasdam partes concedunt. Limnæus *I. P. tom. 5. lib. 1. c. 12.* Regem Bohemæ etiam hætenus exclusum fuisse a deliberationibus de Capitulatione conficienda experientia comprobatur. conf. etiam Limn. *in Prolegom. Capit. sect. 4. n. 3.* Rachel. *de Capit. p. sect. 4. n. 3.* Rachel. *de Capitulat. cap. IV. §. 6. 7.* Conring. *de Capit. §. 22.* Manserunt porro Electores in quietâ possessione capitulationes conficiendi exclusis reliquis statibus a tempore Caroli V. vsque ad Rudolphi II. obitum, per integrum seculum. Post huius obitum quidam ordines facultatem hanc Collegii Electoralis demum impugnare coeperunt, nondum tamen mox coniunctis suffragiis res acta est in Comitibus, quantum quidem videre est ex Hippolyto a Lapide *de Rat. Stat. P. 1. Sect. 1. c. 15.* Limn. *ad Capit. in Prolegom. Sect. IV. n. 5.* Conring. *de Capitul. §. 4.* Rachel. *de Capitul. c. 3. §. 2.* Burgoidensi S. Oldenburger. *p. 3. Disc. 5. ad Infr. Pac.* Literis quæ apud Lundorp. *tom. I. Act. publ. lib. 1. c. 3.* extant. Tandem vero cum pax Westphalica conderetur ordines acrius institerunt, in primis Evangelici, existimantes iura Statuum semper in ambiguo fore, nisi contineantur certa perpetuæque capitulationis formula ex Imperatoris omniumque Statuum consilio sancienda, planeque immutabili, nisi mutata temporum ratio, & inde salus Reipubl. id postularet. Cum autem Sueci huic Ordinum postulato fauerent, ceu ex Dn. Pufendorfio *Comm. Rep.*

Suecicar. XIX. §. 3. Lundorp. Actor. publ. tom. V. L. XI. cap. 115. Dn. Pfanneri Histor. Pac. Westphal. lib. 3. c. 35. perspicere est, in Instr. pac. Artic. VIII. §. habeantur. constitutum, vt in proximis Comitibus de certa constantique Cæsarea Capitulatione ex omnium Statuum, consensu concipienda ageretur.

§. IX. Magno animorum nisu ventilata fuit propterea hæc res in sequentibus Comitibus Ratisbonensibus 1653. conf. A. der Grund-Beste p. 3. c. 3. Dn. Pfanner. *Histor. bor. Comit. lib. 2. Rachel. Or. Nouiom. cap. IX. p. 45.* Et cum res exitum fortiri non posset, Electores iure suo pristino vsi Augustæ Vindelicorum Ferdinandum IV. elegerunt, Ordinibus indicantes se eorum monita, in Capitulatione futura non neglecturos. Sed quia omnia ipsorum monita Capitulationi non inserta deprehendebant Status, acriter in iisdem Comitibus negotii huius finem vserunt, sed irrito euentu. conf. Pufendorf. *Histor. Friderici Wilhelmi L. IV. §. 40.* Cum igitur postea 1658. Leopoldina Capitulatio sub incude esset, nec ad illam reliquos Status admittere vellent Electores, quia perpetua Capitulatio in Comitibus, quæ ibi non essent, conferri deberet, monita sua iterum Ordines exhibuerunt Electoribus (quæ inueniuntur In der Grund-Beste part. 3. c. 3.) addita protestatione, se Capitulationem pro lege publica habere nolle, nisi capitulatio ex tenore pacis Westphalicæ conficiatur, vti ipsa protestatio legi potest apud laudatum *Autorem der Grund-Beste 4. alleg. loc. conf. Pufend. alleg. histor. Lib. VII. §. 26.* Verum cum nec sic res ex placito Ordinum succederet, in sequentibus Comitibus 1663. quæ adhuc nouo exemplo durant, acriter res iterum est agitata. Post has disceptationes spes fuit, rem confectū iri 1664. Nam a Collegio Electorali specimen perpetuæ Capitulationis adornatum reliquis Statibus exhibebatur. Ast cum res fere ad exitum perducta credebatur, ipse exitus siue *epilogus* Capitulationis initium nouarum disceptationum fuit, sed & de *prologo* postea orta litigia sunt, donec tandem metus armorum Turcicorum & Gallicorum negotium hoc interrumperet; ac deliberationes Comitiales ad salutem patriæ diuerneret. Ceterum nec ipsorum Ordinum harmonicum consensum, circa capitulandi ius sibi asserendum, fuisse,

vel exinde apparet, quod Status Pontificii Electoribus fere studuerint, atque ita numero suffragiorum victi sint Protestantes Principes, annotante hoc Rachelio *Or. Nouiom. C. IX. p. 45.* addantur quæ Monzamb. *de Statu Imp. cap. V. §. 2.* politice, sed more suo false annotat, summa actorum etiam satis Patet ex Venatoris *Relation. Comitibus ac ominosa rerum serie presentium Comitiorum.*

§. XI. Discuti propterea meretur illa quæstio, *an posteriores Instrumento pacis Capitulationes vim legum fundamentalium habeant?* Decisioni affirmatiuæ valde videtur obstare protestatio vel comminatio potius Statuum reliquorum quam §. 9. adduximus. Interim tamen notandum, quod Electores profiteantur se non suo, verum etiam reliquorum ordinum omnium nomine pacifici in Capitulatione cum nouo Imperatore. Clare hoc innunt verba Capitulationum Ferdinandi IV. Leopoldi & Iosephi, *Mit dem nenselben Unsern lieben Neven/Dheimen und Chur/Fürsten/vor sich und sämtliche Fürsten und Stände des H. Röm. Reichs. c.* Præterea in allegato articulo VIII. §. habeantur. Instrumenti Pacis deliberatio solum, & si fieri potest, decisio in futuris Comitibus promittitur, quia igitur res in Comitibus hactenus expediri ob varias figuras & aspectus politicorum negotiorum haud poruit, salua interim manent iura, quæ vtraque pars se habere præterdit, Electoribus interim in possessione & exercitio huius iuris manentibus.

§. XII. Solent etiam Publicistæ occasione huius rei querere, *an Capitulatio deroget Maiestati Imperatoria?* quæ quæstio a multis non citra imperitiam solidioris politices consuevit tractari. Sic ineptias Reinkingii & aliorum statuentium, Imperatoris maiestati augeri Capitulatione, instar legis Regiæ, apud Kulpif. *ad Monz. p. 72.* merito castigat felicioris ingenii Ictus Rachelius *Diss. de Capitulatione cap. VI. §. 4. & 7.* Nec minus incommunia comparatio Carpoulli in *Comment. ad Legem Regiam Germanorum*, Capitulationes intelligens. Nam *Lex Regia* veterum Imperatorum, si vnquam lata, de qua re cum Schoockio iam disceptare velle, præter institutum, esset, e diametro Capitulationibus contraria. His enim potestas Imperatorum restringitur & limitatur; illa veteri lege Regia ve-

vero absoluta & illimitata euadebat. add. Dn. Schwed. *I. P. part. general. c. 2. §. 10.* Verum quia in hac dissertatione de Legibus fundamentalibus Germanicis in se spectatis agere animus est, consulto abstinemus decisione huius quaestionis, praesertim cum infra *Diss. IV.* copiose de illa re agere commodior occasio erit.

§. XIII. Succedit igitur nunc *A. Bulla*, quae, Carolo IV. Imp. autore, modum eligendi Imperatorem, iuraque Collegii Electoralis definit. Quae figura aut forma eiusdem, ubi & qua lingua confecta, & reliqua eo pertinentia consulto praetereo, quia in omnibus libellis ista ad nauseam apparent. In specie vero doctiss. Dn. Thulemarius *Tr. de Aurea, Argentea, Cerea Bulla cap. 6. 7. 8. & 9.* elegantissime iam adduxit quae ad varia exemplaria eiusdem originalia, figuram & cetera spectant. Reliqua possunt hauriri ex *Limnao, Arumao, Buxtorffio, Rumelino* & adhuc *Mylero, Dieterico, Crusso, Bechmanno*, Commentatoribus *A. Bullae*, vt & *Canisio in discursibus Gallicis ad A. B.* Quod si enim haec exscribere animus esset, ex his & nonaginta nouem aliis publicistis, vererer censuram sagacissimi Monzambani in *praef. sui libelli*, quod haec annotare sit aliquis industriae specimen, nullius vero ingenii & iudicii. Ceterum quae nam capita *A. Bullae* ob mutatam temporum sequentium rationem hodie mutata sint & desuetudine inumbrata, illa, collecta reperiuntur in *Diss. de Mutatione A. Bullae*, ad quam, vt & circa alia, quae hic possent tangi, me refero breuitatis causa.

§. XIV. Sequuntur *Recessus Imperii* qui sunt decreta Comitialia siue leges vniuersales, in Comitibus Imperii mutuo Imperatoris & Statuum consensu, de negotiis administrationem & conseruationem Imperii in primis concernentibus, legitime constituta & promulgata. Dn. Schwed. *Inst. Iur. Publ. part. Gener. c. 3.* Vnde patet, tam Caesarem quam Status per modum Conuentionis obligari quod omnibus legibus publicis commune est, hinc totum fere nostrum ius publicum pactitium est. conf. *Maurit. de Recess. §. 32.* Confirmant hoc verba *Recessus de 1500.* Haben uns mit und gegen einander deshalb in Contracts Weise vereinigt verpflichtet und verscrieben. Hinc in casu dissensus inter Imperatorem & Status, nihil agitur, *I. P. art. 3. §. 2.* vt vt dubitet de hac re.

Maurit. *d. l. §. 20.* & Stanlerus, tum Imperatorem; vicissim Hippo-
litus a Lapide, Status concludere posse, existiment. Nec mutuz
huic Conuentioni obstat, quod solum Cæsaris nomine publicen-
tur. Nam hoc ex pristino stilo Curia fuit retentum, vti contra
Fibigium obseruat Maurit. *d. diff. §. 6.* Vocantur alias *Constitu-
tiones Imperii*, & quo admodum obligandi eandem vim iis tribuit
Dn. Mauritius *disp. de Recess. Imper. §. 7.* quam habent A. Bulla-,
Constitutio pacis profana & religiosa &c. Originem horum Re-
cessuum a Carolo M. peti posse, existimat Mauritius *cit. loc. §. 5.*
quem sequitur Dn. Pffessing. in *Vitriar. illustr. L. 1. tit. 2. §. 10.* vbi
ex Hincmari Rhemensis *Epist. 3. 29.* suam sententiam corroborare
cupit. Sic apud Goldastum *rom. 1. const. Imp. extat Recessus*
Carolo Imperatore confectus an. 890. vel iuxta alios 790. Verum
bene annotat Vitriarius, simulacra potius nostrorum Comitiorum
& Recessuum dicenda esse. *Inst. I. P. L. 1. tit. 2. §. 10.* Gold-
dasti vero autoritas circa fidem & authenticam veterum Diploma-
rum non omni exceptione maior est. Goldastum enim nimis cre-
dulum saepe fuisse, & pro Diana ranam saepius afferre in suis operi-
bus, peritis historiarum patriæ abunde constat. Hinc & Gothfr.
Wendelin. *de Leg. Salic. cap. 2.* acerrime increpat Goldastum, &
quod ficta diplomata pro veris & authenticis ediderit. Et ipse
Pffessingerus cum Conringio, Obrechtio, Ittero, Schiltero hunc
Recessum Caroli vt fictitium reiecit *L. 1. tit. IV. §. 3. lit. 1.*

§. XV. Veteres igitur constitutiones, *tribus Tomis Constitutionum Imperialium* compilauit Goldastus, in quo tamen Conringio & alii desiderant nimiam credulitatem, & quod interdum supposititias chartas pro authenticis diplomatibus vendiderit. Constitutiones autem recentiores quæ nomine *Recessuum* veniunt, variis editionibus prodierunt. Vltima Moguntina 1660. quam tamen suis mendis etiam scetere, probat Dn. Schwed, *I. P. part. General. c. 3. §. 8.* Nullius enim Recessus ab an. 1356. vsque ad 1442. mentio in illa fit, licet Lehmannus in *Chron. Spir. lib. 7. c. 63.* Comitia 1389. 1398. habita fuisse, fidem faciat. Sic nec ibi constitutio *de Re monetaria*, cuius mentio fit in *Rec. Imp. d. 1351. §. 36.* & apud Goldastum *p. 2. der Reichs. Satzungen p. 256.* exhibetur, addita reperi-

peritur. Illud vero notabile est, quod Schutz, *I. P. vol. 2. disp. 4. hb. 1. lit. B.* tradit, Paulum IV. papam Recessus Imperii inter libros prohibitos retulisse, eaque de re Ferdinandum I. non semel conquestum fuisse. Testatur autem Dn. Schweder, se in Petri Suauius Historia Concilii Tridentini, ad quam prouocet Schütz, hoc non reperire potuisse, quod totum volumen Recessuum inter libros prohibitos sit relatum. Igitur dici potest, in *indicem expurgatorium* forsitan nonnulla loca delenda relata fuisse a Pontifice. Ceterum qui contenta cuiusuis Recessus nosse cupit, adeat Dn. de Andler *Corpus Recess. German.* quod ex Imperialibus variis constitutionibus in vnum volumen secundum Alphabeti seriem collectum est.

§. XVI. Quod si autem porro materiam Recessuum confideremus, illa ad tria Capita reuocari posse videtur. Nam agitur in illis (1) vel de Statu Publico Germaniae, vel (2) de rebus transitoriis ab Caesare & Statibus expediendis, vel (3) de legibus & negotiis priuatis ad Statuum subditos pertinentibus. Prioris generis pleraque sunt, quae in Recessibus occurrunt. Ad posteriorem classem pertinet, quando in Recessibus agitur de certo militum numero conscribendo, bello Turcico & aliis capitibus transcurrentibus; & denique si in Recessibus inferantur res, vt subditi mediati iis teneantur. v. c. quantitas vsurarum, materia tutelaris & in *Recess. nouissimo de 1654.* salutaria remedia ad abbreviandum processum ordinatum. vid. Dn. Textor *ad illum Recess.* Non solet autem temere de his rebus & legibus priuatis disponi in Recessibus, partim quia magis ardua & publica solent adesse negotia, partim quia in legislatoriam Statuum potestatem impingi non debet. Hinc istiusmodi Recessus rariores, nisi in casu vbi Statuum interest, vt subditi iisdem legibus viuant, quale exemplum praebet *Recess. l. d. 1654. §. 176. sequ.* Denique quomodo Recessus diuidantur, item conficiantur & promulgentur, ex professo egit Dn. Mauritius *laud. dissert. §. 10. 13. 22.*

§. XVII. *Constitutio Pacis profana,* (vt in ipsis legibus vocatur) inter leges publicas Germanicas potiorum etiam locum occupat. Fuit quippe aliquando Caesarea autoritas tam exigua aut nulla, vt si lis inter Ordines extitisset, il-

la non Iudicio ciuili submitteretur, sed præcedente diffidatione manu dirimiretur. Quæ res ansam præbuit tot arcibus extruendis quæ adhuc in colliculis cernuntur. vid. Speidel *in specul. v. Faustrecht*. Inprimis vero turbulentissimus Status Germaniæ fuit Seculo XIII. in fatali & infelici illo Interregno post Friderici II. obitum, vbi ea tempora inciderunt, vt non tantum iura ciuilia, sed & propemodum naturalia, & inde oriens vinculum communis socialitatis, per diffidationes, inuasiones, deprædationes proterue conculcarentur. Miser hic status Germaniæ durauit vsque ad Maximilianum I. Hic postquam primo instituisset huic malo tollendo *Regimentum*, deinde in eius locum surrogasset *Iudicium Camerale*, & Imperium in *Circulos* distribuisset, ne sententiæ eluderentur, cessauit paulatim illa violentia, & iudicii illius autoritas inualescere cepit, proposito *pacis publicæ* Edicto pæna Banni seu proscriptionis munito. Illa pax publica, Germanice *der Land-Frieden* sapius Imperii Recesibus, Instrumento Pacis Recessu nouissimo ac Capitulatione Leopoldi & Iosephi confirmata est. Quæ si quis collegerit, & Gailii duos libros *de pace publica* & Conringii *doctam dissertationem de Iudiciis Germaniæ* iis addiderit, huius rei cognitione affatim se instruere poterit. Rachel. *Or. Noniom. p. 52*. Huic pax publica seu profana est pragmatica sanctio perpetuo valitura vnanimi Imperatoris & ordinum consensu promulgata, de sibi inuicem vim publicam non inferendo, pæna in illos constituta qui secus faciunt. vid. Dn. Schweder. *I. P. part. gen. c. 3. §. 9.*

§. XVIII. Pacem profanam siue publicam excipit *Pax religiosa*. Origo pacis huius a Reformatione, quæ tempore Caroli V. contigit in Germania & Helvetia per Lutherum & Zwinglium. Ante illud tempus totus fere Occidens Romanæ Ecclesiæ ritus sequebatur, extirpatis & hæreseos crudeli supplicio affectis qui contra Pontificis nutum vel hircere audebant. Nec sane supererant reliquæ purioris cultus, nisi apud *Bobemicos fratres, Waldenses* & alios Wiclesi, Husii, Hieronymi Pragensis doctrinæ addictos. Postquam igitur tali ratione Pontificium imperium ad summum fastigium esset euectum, adeo vt superstitiones mole sua laborare inci-

inciperent, ac multis gemitibus occultorum testium veritatis (quorum copiam exhibent Flacius & Gerhardus in *Confessione Catholicæ*) melior Status Ecclesiæ a Deo exoptaretur, tandem diuinis auspiciis duce Luthero, tum & fere eodem tempore, ope Zwinglii in Heluetia, iugum papale excuti cœpit. Quod initium porro? quis progressus reformationis fuerit? quid diuinum? quid humanum? in insigni hoc opere fuerit, iam nil attinet inquirere. Si cui vero hoc nosse volupe est, adeat *Historiam Lutheranisimi* a summo Viro B. Dn. de Seckendorf aduersus Maimburgium Gallum ex Archivo Saxonico-Ducali conscriptam; tum & Dn. Arnoldi *Unparteyische Kirch- und Reher. Historie & part. III. & IV. Addit.* vbi inueniet recondita quædam veram reformationem attinentia.

§. XIX. Ingentes vero hanc Reformationem turbas dedisse, in Imperio, & cruenta bella excitasse, iusque nostrum publicum insigniter mutasse, peritus historiarum istius temporis non infitiabitur. Nam cum post Lutheri mortem res inter Carolum V. religionis prætextu Germaniam subiugare cupientem & Saxoniæ ac Hassum, præcipuos Euangelicorum eo tempore, ad arma deuenisset, victoria illius belli penes Cæsarem manente, vix erat, vt non extincta fuisset Euangelica Religio in Germania, vid. de *hoc Bello Schmalkaldico* Hortlederus, & in compendio Burgoldenf. *ad instr. P. part. 1. disc. 1.* tandem vero victricibus armis Mauritii Saxonix Electoris, quieti & paci Augustanæ Confessionis addictorum Principum consultum fuit per Transactionem Passauiensem an. 1552. initam & Pacem Religionis 1555. subsecutam, eamque A. 1566. Augustæ Vindelicorum aliisque postea Reecessibus Imperii confirmatam. Non vero sine singulari bono Germaniæ contigit, vt tunc Imperatorum solum ornauerint Ferdinandus I. & post eum filius eius Maximilianus II. laudatissimi Principes & Religionis Euangelicæ haud obscure fauentes, mitiusque de ea iudicantes, quam alias moris est religioni Romanensium addicti. conf. Pauli Seruitæ *hisor. Concil. Tridentin. lib. 1.* Vt ut autem ipsorum tempore non deessent immania & sanguinolenta consilia papicolarum erga euangelicos, horumque multi in Italia, Hispana-

spania, Gallia crudelissime necarentur, in Germania tamen laudatorum Imperatorum moderatione tranquillum Euangelicæ religionis exercitium florebat.

§. XX. Horum vestigia si pressissent successores, Matthias & Ferdinandus II. Germania bello, quo ter infeliciores fuit quam regnum Troianum, carere potuisset. Et postquam Ferdinando II. bonus quidem Princeps, sed clero suo nimis obnoxius ac superstitiosus, quem næuum frustra *pietatis* elogio ornat P. Lemmerman in *Eius Vita*, Edicto de ao. 1629. bona Ecclesiastica repetierat, quæ post transactionem passauiensem a secularibus essent occupata, Germania plenis velis in stium exitium & bellum ruebat, Sueco & Gallo in societatis & prædæ partem venientibus. Experta tunc Germania est, quam inauspicata *Vniõnis & Ligæ* vocabula sint, si non contra hostem extraneum, sed ynus corporis ciues isthac instituuntur. Euentus fuit, vt post multas iniuriam clades, direptiones & deprædationes, omnium bellorum fructus, tandem Monasterii ac Osnabrugæ pax coalesceret, vbi inter alia insignia iura Statibus plenissime concessa, & plena libertas religionis fuit. Neque solum extensa hæc est ad Augustanæ confessionis socios, vti se vocant, sed etiam Reformatæ religioni, ceu vocant, addicti, pari iure, libertate, & securitate cum reliquis Euangelicis gaudere debent. Indefesso studio Electoris Brandenburgici hoc debere Reformatos, asserit Rachelius in *Oriæ Noniomag.* p. 56.

§. XXI. *Articulus VII.* *Instrumenti pacis est*, qui in fine constituit, omnes tres religiones in Imperio, nimirum Romano-Catholicam, & duas Euangelicas, Lutheranam & Reformatam, paribus privilegiis & iuribus debere vti. Vocantur propterea etiam *religiones Canonice*. Opposuit se quidem acriter huic tolerantia vt, & secularisationi bonorum Ecclesiasticorum Papa Romanus edita per Nuncium suum Bulla. vid. ill. Dn. de Rhetz. *Iur. publ. lib. 1. tit. 2. §. 137.* Sed irritus fuit eius conatus prævalente etiam apud Catholicos publica salute. Bullam vero hanc refutarunt Hornbeckius, Blondellus sub nomine Amandi Flauiani, & Ludouicus de Monteperato, Comringius. Ceterum an eo ipso Principibus Euangelicis

rogale tolerandi etiam alterius religionis homines sit ademptum? merito quaritur, licet de affirmatiua decifione nullum videatur dubium esse, cum clerici & politici haecenus vnanimiter fere hoc persuadere voluerint. Verum maiori specie veritatis alii & moderatiores quidem prudentioresue ostenderunt, repugnare iuri naturali & primis principiis religionis Christianae, vt & regulis omnibus bonae interpretationis. Pacta ex mente & causa impulsua pacifcentium intelligenda sunt. Pontificii tempore pacis condendae imbuti erant primo illo principio antichristianismi de non tolerandis dissentientibus in mysteriis fidei: Principes Euangelici contra, ex principiis Novi testamenti & Euangelii tolerantiam pratendebant. Ergo hi non poterant saluis principiis suis vrgeri, vt ista clausula paci religiose infereretur, sed Catholici Principes necessitati cedentes illam inferi curabant, nullum alium adeo sensum inferentem, quam quod, si societas aliqua in Imperio alienae religioni praeter illas tres addicta oriretetur, Catholici Principes non velint pace hac religiosa teneri, sed libertatem sibi seruent, ex principiis cleri Pontificii eam oppugnandi. conf. Dn. Thomasi Fürsten-Necht & ad Monzamb. Qui aliter explicant, impingere videntur in Ius Naturale & prima principia socialitatis, nec minus defraudant Principes summo regali iure tolerantiae christiana, quae vbi viget, ibi simul felix regimen & florentissimus Commerciorum status subsequi solet, dum indies numerus subditorum crescit ex illis qui, conscientiae causa, praesidium & tutamen ibi quarunt. Quod Angliae, Belgii & nunc terrarum Brandenburgicarum exemplo comprobatur Autor der Remonstracion an alle hohe Obrigkeiten in puncto des Gewißen-Zwangs an. 1700.

§. XXII. Igitur describi potest pax religiosa cum Dn. Schwedero *J.P. part. general. c. 3. §. 16.* quod sit *conuentio Imperatoris ac Statuum Imperii de religione Protestantium non minus quam Pontificia libere colenda, & de se inuicem, harum religionum intuitu, non turbando.* Optandum vero est, vt ea mens, ea moderatio animi semper sedeat summis Principibus Germaniae, inprimis religionis pontificiae, quo illi aures occludant aduersus Sirenum cantus.

C

Optan-

Optandum porro fuisse, quo *Articulus IV. Pacis Rysvicensis* Evangelicis non iustissimam causam suppeditasset graues quærelas effundendi. Optandum denique, vt motus Palatini nuperi circa religionem, de quibus *Acta publica Comitialia* possunt consulti, non aliquando in nouam belli flammam erumpant, sed vt potius aures præbeantur Principum componentium summis Ministris, Svecico, Brandenburgico aliisque.

§. XXIII. Tali ratione defunctos nos credimus officio recensendi potiores leges publicas fundamentales statum Imperii Germanici formantes. Superest igitur vt dispiciamus paucis, an & in hunc censum iura Feudalia, & Canonica Ciuiliaq; in Germaniam recepta venire possint. Equidem quod primo attinet ius Feudale, illud incunabula sua & originem debere videtur Germanis. Hi enim varias peruagati terras, suos mores & iura quoque circumtulerunt, quæ origine propria & ciuilia, paulatim vsu ceperunt plurium gentium esse communia. Et si vero diuersis consuetudinibus feudalibus vsi sint Gothi, Vandali, Alemanni, Franci, Burgundiones, Saxones, Nationes omnes Germanicæ, Longobardicæ consuetudines tamen in regno Italiae (quæ in libris feudorum memorantur) ita præualuerunt, conf. illustr. Dn. Stryk. *Exam. jur. Feud. Cap. 1.* vt apud multas gentes ceu norma iuris & nexus feudalis receptæ, ideoque nomen iuris feudalis communis adeptæ sint. Hinc omnino iuris publici Germanici aliquam partem constituunt. Nimirum quatenus consuetudines illæ feudales ad modum habendi feuda spectant, h. e. quatenus illustria Germanicæ feuda acquiruntur, conseruantur & amittuntur. conf. Ill. Dn. de Rhetz *Comm. Feud. pr.*

§. XXIV. *Ius Canonicum* vero vti antiquior eius receptio præ Ciuili euidens est; ita etiam non exiguam autoritatem legalem obtinuit inter Principes. Per hos vero intelligo Ecclesiasticos Principes Pontificios. Exemplum recens & plane illustre suppeditat nouissima Electio Colonienfis, vbi Princeps Bauarus id temporis Iosephus Clemens, pro sua electione, contra corrualem Cardinalem Furstenbergium, recte allegabit famosum *Capit. Scripsitum 40. X. de Elect.* Quia enim Capitulum Colonienfe in duas clas-

classes erat scissum, quarum vna eligebat Principem Bauaricum, altera vero postulabat Cardinalem Furstenbergium, in concursu electionis & postulationis, postulantium duplo maior exigitur numerus quam eligentium, qui cum non adesset, merito electus prælatus est, nam Cardinalis habebat pro se 13. vota Bauarus vero 9. conf. literæ Canonicorum eligentium, apud Pfeffing. *Virriar. illustrat. L. 1. tit. 14. p. 313.* Ex eodem iure Canonico, & in specie *Cap. 4. X. de Translat. Episcop. Cap. 15. X. de Elect.* pater, quod Electores Ecclesiastici ea quæ ordinis sunt, vid. *A. B. c. 23.* antea peragere nequeant, quam iuxta allegata capitula Iuris Canonici sint consecrati & infulati. Inde factum est, vt cum 1630. coronanda esset Eleonora Augusta, Mantuana, nec Anshelmus Casimirus Moguntinus, nec Ferdinandus Colonienfis infula legitima gauderent, Ius huius Coronationis Philippo Christophoro Treurenfi cesserit. Add. Dn. Schwed. *Iur. publ. part. spec. Sect. 1. Cap. II. §. 33.*


§. XXV. Coronidis loco de *Iure Ciuili Romano-Iustiniano* operæ pretium erit inquirere, quatenus illud in classem legum Publicarum Germaniæ recipi mereatur. Ab initio autem non placet hic recoquere, quæ iusto acrius inter *Taborem Convingiumque* sunt disceptata de autoritate & vsu legum Iustinianearum in Iure publico. Cum nonnullis enim doctrinis, quæ a Tabore magno strepitu sunt id temporis defensa, ita comparatum est, vt hodie de accuratiorum Ictorum applausu desperent. Præterit enim illud tempus, quo cum Paurmeistero de *Iurisd. Imp. Rom. lib. 2. c. 6. n. 158. ineptum & ἀπολίτευτον* credebatur, quod scripsit Auctor *Informationis Donauerdicæ*, non ex Bartolo & Baldo Iuris publici cognitionem hauriendam esse, sed ex legibus publicis Germanicis. Hodie apud Cordationes in confesso est, illas in corpore iuris propositas leges, quæ pristinam Reipublicæ administrationem concernunt, nil ponderis habere posse, vbi per leges Imperii fundamentales, præcipue per Capitulationes Imperatorias, longe diuersa Imperium gubernandi ratio introducta est. Dn. Stryk *Vf. Mod. ff. Diss. prælim. §. 39.* Breuiter. Leges Ciuiles Iustinianæ in quæstionibus statum Germaniæ publicum concernentibus nul-

44 DE LEGIBVS IMPERII FVNDAMENTALIBVS

Iam habent auctoritatē; bene tamen si considerentur Principes vt Domini rerū suarum, vt patres, vt mariti; quatenus scilicet receptio doceri possit. Dico receptio. Nam regulariter Principes & Status non vtuntur inter se iure Ciuili, Domus Ducalis Saxonica in causa Iuliac. ita se declarat: daß die Chur und Fürsten des Reichs/ als *Personæ Publicæ*, den *privat-Gesetzen* keines Weges unterworfen. *vid. Apol. der 2. Schrifften* so 1609. von den Chur und Fürstl. Häusern Sachsen ausgegangen. p. 8. Factum quidem est, ut recepta sint iura ciuilia in priuatis causis & Principum, sed in subsidium, neque secundum apices, sed cum differentia Ordinis & dignitatis illustris, præsertim recepto sublimi superitatis territorialis iure. In plerisque igitur causis Principum etiam inter se, v. c. testamenti factioe & aliis, Ius Ciuile repudiatum est, quod eleganter nouissime deduxit rerum patriarum peritissimus vir Dn. Schilter *Inst. Iur. Publ. l. c. tit. 9. §. 2. & passim*. Ratio vero secundum eundem cur istæ solennitates Ciuiles a Principibus & Statibus non requirantur, est, quæ ex dignitate Principali & illustrissima nobilitate superiore summaque Germanorum fide, ac legalitate harum personarum arcessitur, qua salua intelligi debet iuris Ciuilis receptio, quippe quæ dignitas & prærogatiua sine facto & consensu ipsorum nullo modo minui poterit.

§. XXVI. Vnde simul manifestum sit, Brocardicum commune, quod in hac materia versantibus vtramque paginam implere solet, scilicet, *Principes inter se sui iure priuatorum*; esse ambiguum, lubricum & ineptum sensum procreare aptum. Regula deberet esse: *Principes inter se litigantes ex Iure Naturæ & Gentium, consuetudinibus Germaniæ immemorialibus iudicandi sunt, nisi in hoc vel illo capite iuris ciuilibus receptio, tanquàm exceptio, doceatur*. Hoc vero inuertunt communiter cum imperiis furoribus, pedem calceo non vero calceum pedi aptare volentibus. Brocardica non sunt contemnenda, si vrantur iis viri, qui ex regulis bonæ interpretationis habitum interpretandi possident. Sunt autem meri sine mente soni in illorum ore, qui nil aliud norunt, quam secundum methodum causalem (inuentum in iure VVesfenbecianum hecatombe aut centum bouum macstatione dignum!) aliquid conferre billare valent.

§. XXVII. Possemus porro concedere vsum iuris Ciuilis dogmaticum in iure publico, modo legalis ab sit. Verum & hic cautionem desidero, ne ille vsum dogmaticus, siue illustratio legum publicarum ex legibus Romanis, sit frigidus & affectatus. Saperet enim hoc febriculosam Iuris Ciuilis ostentationem a Monzambanotories inrisam, qua igitur, polito hoc seculo qui sapit, merito abstinet.



Kalle, Diss., 1701 (Br/R)

ULB Halle


001 513 001


3



sb







1 2
II
1707, 11^o

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA,
De

LEGIBVS IMPE-
RII FVNDAMEN-
TALIBVS,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. FRIDERICO
WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBVRGICO, ELECTORA
TVS AC PROVINCIARVM HEREDE &c. &c. &c.

In Illustri Fridericiana Brandenburgica
PRAESIDE
DN. IACOBO BRUNNEMANNO,
JVRIVM LICENTIATO

D. 15. Januar. 1701. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subicit

AVGVSTVS ADOLPHVS ERMISCH,
BRVNSVICENSIS.

HALE MAGDEB. Literis Chr. Henckelii, Acad. Typ.